

28th SYDNEY LATIN SUMMER SCHOOL

17th-21st JANUARY 2022
University of Sydney via Zoom

LEVEL 2B

Alexander Westenberg



MONDAY

Hyginus, *Fabulae*

For the majority of history, beginners in learning Latin would learn through the use of fables, short stories, often with a moral, which could be read easily in one sitting and, often, memorised. Though the most well-known form of the fables are Aesop's, Hyginus's, of which the fabulae below are a selection, are interesting as a summary of Greco-Roman mythology.

PANDORA

Prometheus Iapeti filius primus homines ex luto finxit. Postea Vulcanus Iovis iussu ex luto mulieris effigiem fecit, cui Minerva animam dedit, ceterique dii alius aliud donum dederunt; ob id Pandoram nominarunt. Ea data in coniugium Epimetheo fratri; inde nata est Pyrrha, quae mortalis dicitur prima esse creata.

PROMETHEUS

Homines antea ab immortalibus ignem petebant neque in perpetuum servare sciebant; quod postea Prometheus in ferula detulit in terras, hominibusque monstravit quomodo cinere obrutum servarent. Ob hanc rem Mercurius Iovis iussu deligavit eum in monte Caucaso ad saxum clavis ferreis et aquilam apposuit, quae cor eius exesset; quantum die ederat, tantum nocte crescebat. Hanc aquilam post xxx annos Hercules interfecit eumque liberavit.

PHAETHON

Phaethon Solis et Clymenes filius cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. Hunc Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis ut omne genus mortalium cum causa interficeret, simulavit se velle extinguere; annes undique irrigavit omneque genus mortalium interiit praeter Pyrrham et Deucalionem. At

sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt.

DEUCALION ET PYRRHA

Cataclysmus, quod nos diluvium vel irrigationem dicimus, cum factum est, omne genus humanum interiit praeter Deucalionem et Pyrrham, qui in montem Aetnam, qui altissimus in Sicilia esse dicitur, fugerunt. Hi propter solitudinem cum vivere non possent, petierunt ab Iove, ut aut homines daret aut eos pari calamitate afficeret. Tum Iovis iussit eos lapides post se iactare; quos Deucalion iactavit, viros esse iussit, quos Pyrrha, mulieres. Ob eam rem laos dictus, laas enim Graece lapis dicitur.

PROSERPINA

Pluton petit ab Iove Proserpinam filiam eius et Cereris in coniugium daret. Iovis negavit Cererem passuram, ut filia sua in Tartaro tenebricoso sit, sed iubet eum rapere eam flores legentem in monte Aetna, qui est in Sicilia. In quo Proserpina dum flores cum Venere et Diana et Minerva legit, Pluton quadrigis venit et eam rapuit; quod postea Ceres ab Iove impetravit, ut dimidia parte anni apud se, dimidia apud Plutonem esset.

TRIPTOLEMUS

Cum Ceres Proserpinam filiam suam quaereret, devenit ad Eleusinum regem, cuius uxor Cothonea puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem lactantem simulavit. Hanc regina libens nutricem filio suo recepit. Ceres cum vellet alumnum suum immortalem reddere, interdum lacte divino alebat, noctu clam in igne obruebat. Itaque praeterquam solebant mortales crescebat; et sic fieri cum mirarentur parentes, eam observaverunt. Cum Ceres eum vellet in ignem mittere, pater expavit. Illa irata Eleusinum exanimavit, at Triptolemo alumno suo aeternum beneficium tribuit. Nam fruges propagatum currum draconibus

iunctum tradidit, quibus vehens orbem terrarum frugibus obsevit. Postquam domum rediit, Celeus eum pro benefacto interfici iussit. Sed re cognita iussu Cereris Triptolemo regnum dedit, quod ex patris nomine Eleusinum nominavit, Cererique sacrum instituit, quae Thesmophoria Graece dicuntur.

IO

Ex Inacho et Argia Io. Hanc Iuppiter dilectam compressit et in vaccae figuram convertit, ne Iuno eam cognosceret. Id Iuno cum rescivit, Argum, cui undique oculi refulgebant, custodem ei misit; hunc Mercurius Iovis iussu interfecit. At Iuno formidinem ei misit, cuius timore exagitatam coegit eam, ut se in mare praecipitaret, quod mare Ionium est appellatum. Inde in Scythiam tranavit, unde Bosporum fines sunt dictae. Inde in Aegyptum, ubi parit Epaphum. Iovis cum sciret suapte propter opera tot eam aerumnas tulisse, formam suam ei propriam restituit deamque Aegyptiorum eam fecit, quae Isis nuncupatur.

EPAPHUS

Iuppiter Epaphum, quem ex Io procreaverat, Aegypto oppida communire ibique regnare iussit. Is oppidum primum Memphim et alia plura constituit et ex Cassiopia uxore procreavit filiam Libyen, a qua terra est appellata.

TITANOMACHIA

Postquam Iuno vidit Epapho ex pellice nato tantam regni potestatem esse, curat in venatu, ut Epaphus necetur, Titanosque hortatur, Iovem ut regno pellant et Saturno restituant. Hi cum conarentur in caelum ascendere, eos Iovis cum Minerva et Apolline et Diana praecipites in Tartarum deiecit. Atlanti autem, qui dux eorum fuit, caeli fornicem super umeros imposuit, qui adhuc dicitur caelum sustinere.

PYTHON

Python Terrae filius draco ingens. Hic ante Apollinem ex oraculo in monte Parnasso responsa dare solitus erat. Huic ex Latonae partu interitus erat fato futurus. Eo tempore Iovis cum Latona Poli filia concubuit; hoc cum Iuno rescit, facit, ut Latona ibi pareret, quo sol non accederet. Python ubi sensit Latonam ex Iove gravidam esse, persequi coepit, ut eam interficeret. At Latonam Iovis iussuventus Aquilo sublatam ad Neptunum pertulit; ille eam tutatus est, sed ne rescinderet Iunonis factum, in insulam eam Ortygiam detulit, quam insulam fluctibus cooperuit. Quod cum Python eam non invenisset, Parnassum redit. At Neptunus insulam Ortygiam in superiorem partem rettulit, quae postea insula Delus est appellata. Ibi Latona oleam tenens parit Apollinem et Dianam, quibus Vulcanus sagittas dedit donum. Post diem quartum quam essent nati, Apollo matris poenas exsecutus est; nam Parnassum venit et Pythonem sagittis interfecit (inde Pythius est dictus) ossaque eius in cortinam coniecit et in templo suo posuit, ludosque funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur.

TUESDAY

Cornelius Nepos, *Life of Chabrias*

Nepos (c. 110-25 BC) was a Roman historian, born near Verona in Gaul (roughly modern-day France). He was a good friend of the famous Roman poet Catullus, who dedicated his poems to Nepos (along with Cicero and Atticus). Almost all his works are lost, but we have a collection of 'Lives' in which he gives the histories of a number of great men from history. This piece is on the famous Carthaginian general, Hannibal.

CORNELI NEPOTIS HANNIBAL

[1] HANNIBAL, Hamilcaris filius, Carthaginensis. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est infitandum Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedit fortitudine cunctas nationes. 2 Nam quotienscumque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. 3 Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam quam id deposuerit, qui quidem, cum patria pulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis.

[2] Nam ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis, omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Italiae. 2 Ad quem cum legati venissent Romani, qui de eius voluntate explorarent darentque operam consiliis clandestinis ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tamquam ab ipsis corruptus alia atque antea sentiret, neque id frustra fecissent idque Hannibal comperisset seque ab interioribus consiliis segregari vidisset, tempore dato adiit ad regem, 3 eique cum multa de fide sua et odio in Romanos commemorasset, hoc adiunxit: 'Pater meus' inquit 'Hamilcar puerulo me, utpote non amplius VIII annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Iovi optimo maximo hostias immolavit. 4 Quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me, vellemne secum in castra proficisci. Id cum libenter accepissem atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere, tum ille 'Faciam', inquit 'si mihi fidem, quam postulo, dederis.' Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis tenentem iurare iussit numquam me in amicitia cum Romanis fore. 5 Id ego ius iurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. 6 Quare, si quid amice de Romanis

cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris; cum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.' Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est.

[3] Cuius post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto, equitatu omni praefuit. Hoc quoque interfecto exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem delatum publice comprobatum est. 2 Sic Hannibal, minor V et XX annis natus imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit; Saguntum, foederatam civitatem, vi expugnavit; tres exercitus maximos comparavit. 3 Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit. Quacumque iter fecit, cum omnibus incolis confligit: neminem nisi victum dimisit. 4 Ad Alpes posteaquam venit, quae Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo umquam cum exercitu ante eum praeter Herculem Graium transierat, quo facto is hodie saltus Graius appellatur, Alpico conantes prohibere transitu concidit; loca patefecit, itinera muniit, effecit, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. Hac copias traduxit in Italiamque pervenit.

[4] Confluxerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule eumque pepulerat. Cum hoc eodem Clastidi apud Padum decernit sauciumque inde ac fugatum dimittit. 2 Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit. Cum his manum conseruit, utrosque profligavit. Inde per Ligures Appenninum transiit, petens Etruriam. 3 Hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea numquam dextro aeque bene usus sit. Qua valetudine cum etiam tum premeretur lecticaque ferretur C. Flaminium consulem apud Trasumenum cum exercitu insidiis circumventum occidit neque multo post C. Centenium praetorem cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervenit. 4 Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius et L. Aemilius. Utriusque exercitus uno proelio fugavit, Paulum consulem occidit et aliquot praeterea consulares, in his Cn. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat consul.

[5] Hac pugna pugnata Romam profectus est nullo resistente. In propinquis urbi montibus moratus est. Cum aliquot ibi dies castra habuisset et Capuam reverteretur, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus, in agro Falerno ei se obiecit. 2 Hic clausus locorum angustiis noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit; Fabioque, callidissimo imperatori, dedit verba. Namque obducta nocte sarmenta in cornibus iuvenorum deligata incendit eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino obiecto visu tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit

ausus. 3 Hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minucium Rufum, magistrum equitum pari ac dictatorem imperio, dolo productum in proelium fugavit. Tiberium Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinque consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. 4 Longum est omnia enumerare proelia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intellegi possit, quantus ille fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

[6] Hinc invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem, filium eius, quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugarat. 2 Cum hoc exhaustis iam patriae facultatibus cupivit impraesentiarum bellum componere, quo valentior postea congredetur. In colloquium convenit; condiciones non convenerunt. 3 Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem confligit: pulsus - incredibile dictu - biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod abest ab Zama circiter milia passuum trecenta. 4 In hac fuga Numidae, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei; quos non solum effugit, sed etiam ipsos oppressit. Hadrumeti reliquos e fuga collegit; novis dilectibus paucis diebus multos contraxit.

[7] Cum in apparando acerrime esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo setius exercitui postea praefuit resque in Africa gessit [itemque Mago frater eius] usque ad P. Sulpicium C. Aurelium consules. 2 His enim magistratibus legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum iis pacem fecissent, ob eamque rem corona aurea eos donarent simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent captivique redderentur. 3 His ex senatus consulto responsum est: munus eorum gratum acceptumque esse; obsides, quo loco rogarent, futuros; captivos non remissuros, quod Hannibalem, cuius opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, etiamnum cum imperio apud exercitum haberent itemque fratrem eius Magonem. 4 Hoc responso Carthaginienses cognito Hannibalem domum et Magonem revocarunt. Huc ut rediit, rex factus est, postquam praetor fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. 5 In eo magistratu pari diligentia se Hannibal praebuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario reponeretur. 6 Deinde [anno post praeturam] M. Claudio L. Furio consulibus Roma legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal ratus sui exposcendi gratia missos, priusquam iis senatus daretur, navem ascendit clam atque in Syriam ad Antiochum profugit. 7 Hac re palam facta Poeni naves duas, quae eum

comprehenderent, si possent consequi, miserunt, bona eius publicarunt, domum a fundamentis disiecerunt, ipsum exulem iudicarunt.

[8] At Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum quinque navibus Africam accessit in finibus Cyrenaeorum si forte Carthaginenses ad bellum Antiochi spe fiduciaque inducere posset, cui iam persuaserat ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. 2 Id ubi Poeni resciverunt, Magonem eadem, qua fratrem, absentem affecerunt poena. Illi desperatis rebus cum solvissent naves ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namque alii naufragio, alii a servolis ipsius interfectum eum scriptum reliquerunt. 3 Antiochus autem, si tam in agendo bello consiliis eius parere voluisset, quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset. Quem etsi multa stulte conari videbat, tamen nulla deseruit in re. 4 Praefuit paucis navibus, quas ex Syria iussus erat in Asiam ducere, hisque adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Quo cum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.

[9] Antiocho fugato verens, ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. 2 Vidit autem vir omnium callidissimus in magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. 3 Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. Has praesentibus principibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis statuas aeneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi abicit. 4 Gortynii templum magna cura custodiunt non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus iis tolleret secumque duceret.

[10] Sic conservatis suis rebus Poenus illis Cretensibus omnibus ad Prusiam in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo fuit erga Italiam neque aliud quicquam egit quam regem armavit et exercuit adversus Romanos. 2 Quem cum videret domesticis opibus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adiungebat bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra; 3 sed utrobique Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem. Quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi; quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitratur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. 4 Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur navium multitudine; dolo erat pugnandum,

cum par non esset armis. Imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi easque in vasa fictilia conici. 5 Harum cum effecisset magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocavit hisque praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere. Id illos facile serpentium multitudine consecuturos. 6 Rex autem in qua nave veheretur, ut scirent, se facturum. Quem si aut cepissent aut interfecissent, magno iis pollicetur praemio fore.

[11] Tali cohortatione militum facta classis ab utrisque in proelium deducitur. Quarum acie constituta, priusquam signum pugnae daretur, Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit. 2 Qui ubi ad naves adversariorum pervenit epistulamque ostendens se regem professus est quaerere, statim ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat, quin aliquid de pace esset scriptum. Tabellarius ducis nave declarata suis eodem, unde erat egressus, se recepit. 3 At Eumenes soluta epistula nihil in ea repperit, nisi quae ad irridendum eum pertinerent. Cuius etsi causam mirabatur neque reperiebat, tamen proelium statim committere non dubitavit. 4 Horum in concursu Bithynii Hannibalis praecepto universi navem Eumenis adoriuntur. Quorum vim rex cum sustinere non posset, fuga salutem petit; quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset, quae in proximo litore erant collocata. 5 Reliquae Pergamenae naves cum adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus supra mentionem fecimus, conici coepta sunt. Quae iacta initio risum pugnantibus concitarunt, neque, quare id fieret, poterat intellegi. 6 Postquam autem naves suas oppletas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, cum, quid potissimum vitarent, non viderent, puppes verterunt seque ad sua castra nautica rettulerunt. 7 Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.

[12] Quae dum in Asia geruntur, accidit casu ut legati Prusiae Romae apud T. Quintium Flaminium consularem cenarent atque ibi de Hannibale mentione facta ex his unus diceret eum in Prusiae regno esse. 2 Id postero die Flaminius senatui detulit. Patres conscripti, qui Hannibale vivo numquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminium, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet sibi que dederet. 3 His Prusia negare ausus non est: illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus ius hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent; locum ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello, quod ei a rege datum erat muneri, idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, scilicet verens, ne usu veniret, quod accidit. 4 Huc cum legati Romanorum venissent ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab

ianua prospiciens Hannibali dixit plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. 5 Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset omnisque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esse retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum, quod semper secum habere consuevit, sumpsit.

[13] Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, anno acquievit septuagesimo. Quibus consulibus interierit, non convenit. Namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus mortuum in annali suo scriptum reliquit, at Polybius L. Aemilio Paulo Cn. Baebio Tamphilo, Sulpicius autem Blitho P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo. 2 Atque hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris. Namque aliquot eius libri sunt, Graeco sermone confecti, in his ad Rhodios de Cn. Manlii Volsonis in Asia rebus gestis. 3 Huius belli gesta multi memoriae prodiderunt, sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus et Sosylus Lacedaemonius. Atque hoc Sosylo Hannibal litterarum Graecarum usus est doctore. 4 Sed nos tempus est huius libri facere finem et Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari.

WEDNESDAY

Marcus Valerius Martialis (Martial), *Epigrammaton Libri*

Martial (born between 38 and 41 AD and died between 102 and 104 AD) was a Roman poet from the Iberian peninsula (modern-day Spain and Portugal). He was best known for a series of twelve books of epigrams, a collection of short, witty, often satirical and bitter poems mocking Roman life and practice. As this first couplet indicates, he was not above personal jibes.

12; 46

Difficilis facilis, iucundus acerbus es idem:

Nec tecum possum vivere, nec sine te.

3; 8

"Thaida Quintus amat." "Quam Thaida?" "Thaida luscam."

Unum oculum Thais non habet, ille duos.

4; 41

Quid recitaturus circumdas uellera collo?

Conueniunt nostris auribus ista magis.

5; 47

Numquam se cenasse domi Philo iurat, et hoc est:

non cenat, quotiens nemo uocauit eum.

3; 61

Esse nihil dicis quidquid petis, inprobe Cinna:

si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna, nego.

7; 3

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

3; 9

Versiculos in me narratur scribere Cinna:
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

1; 15

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
 si quid longa fides canaque iura ualent,
bis iam paene tibi consul tricensimus instat,
 et numerat paucos uix tua uita dies.

Non bene distuleris uideas quae posse negari, 5
 et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

Exspectant curaeque catenatique labores,
 gaudia non remanent, sed fugitiua uolant.

Haec utraque manu complexuque adsere toto:
 saepe fluunt imo sic quoque lapsa sinu. 10

Non est, crede mihi, sapientis dicere 'Viua'
 sera nimis uita est crastina: uiue hodie.

5; 58

Cras te uicturum, cras dicis, Postume, semper:
 dic mihi, cras istud, Postume, quando uenit?

Quam longe cras istud! ubi est? aut unde petendum?

 Numquid apud Parthos Armeniosque latet?

Iam cras istud habet Priami uel Nestoris annos. 5

 Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?

Cras uiues? Hodie iam uiuere, Postume, serum est:
 ille sapit quisquis, Postume, uixit heri.

1; 47

Nuper erat medicus, nunc est uispillo Diaulus:
quod uispillo facit, fecerat et medicus.

THURSDAY-FRIDAY

Lewis Carroll, *Alice IN Wonderland*

Just for a bit of fun!

ALICIA IN TERRA MIRABILI

Ludovici Carroll

Latine redditus ab eius fautore vetere gratoque Clive Harcourt Carruthers

CAPUT PRIMUM

DESCENSUS IN CUNICULI CAVUM

ALICIAM iam incipiebat plurimum taedere iuxta sororem suam in ripa sedere nec quidquam habere quod faceret.

Semel et saepius in librum oculos coniecerat quem soror legebat: sed ei inerant nec tabulae nec sermones. 'Quid adiuvat liber,' secum reputabat Alicia, 'in quo sunt nullae tabulae aut sermones?'

Itaque cogitabat (nempe ut lucidissime poterat, nam tempestate calida torpebat semisomna) num operae pretium esset surgere et flosculos carpere, modo ut sertum nectendo se delectaret, cum subito Cuniculus Albus oculis rubris prope eam praeteriit. Neque in eo erat quidquam magnopere dignum memoria: neque Aliciae valde insolitum videbatur ut Cuniculum sibi loquentem audivit: 'Vae, vae! Sero perveniam!'

Cum Alicia postea de hoc cogitaret, in mentem occurrit id debuisse sibi mirum videri, sed id temporis omnia videbantur ordinaria.

Sed ut Cuniculus horologium parvulum re vera e sinu subuculae extractum contemplatus usque festinavit, Alicia cito consurrexit.

In mentem enim eius subito incidit se numquam antea cuniculum vidisse qui aut subucula indueretur aut horologium portaret quod ex ea extrahere posset.

Ita Alicia, curiositate ardens, Cuniculum trans pratum persecute in ipso articulo eum conspicata est cito descendentem in cavum sub vepribus situm. Non diutius morata, Alicia post eum descendit, ne cogitans quidem quo pacto omnino rursus emerget.

Aliquod spatium cuniculi cavum protinus recte porrigebatur velut fossa subterranean deinde tam subito declive factum est ut Alicia, antequam se sistere posset, inveniret se decidere quasi in profundissimum puteum.

Sed sive puteus profundissimus erat sive ea lentissime decidebat, descendenti satis temporis ei erat ut circumspectaret et miraretur quid proxime eventurum esset.

Primo conabatur infra despiciere, ut discerneret quo adveniret. Sed propter obscuritatem nihil videre potuit.

Deinde observabat latera putei, quae plena armariis pluteisque esse videbat: passimque mappae terrarum et tabulae de paxillis pendebant.

Praeteriens Alicia de uno pluteorum oram detraxit, titulo inscriptam 'Aureorum decoctio malorum'; at praeter spem vacua erat. Et cum ollam manu demittere nollet, ne quem infra interimeret, feliciter effecit ut, dum praeterit, in unum armanorum eam deponeret. 'Eia!' secum reputavit Alicia, 'postquam ita longe decidi, de scalis delabi nullius momenti erit! Quam fortem me esse putabunt omnes domi! Etiamsi enim de summo tecto delabar, nullum verbum edam.' Quod prorsus veri simile sit!

Deorsum, usque deorsum cadebat. An numquam finis sit decidendi?

'Nam miror quot milia passuum' inquit Alicia 'adhuc delapsa sim. Me iam oportet appropinquare ad mediam partem globi terrestris. Cogita enim: fere quater miliens milia passuum oportet esse.'

Complures enim huius generis res Alicia in schola didicerat; et quamquam occasio minime opportune erat scientiae ostendendae, quod nemo aderat qui eam audiret, tamen bonae exercitationi esse putabat haec iterare.

'Ita est,' inquit Alicia, 'id oportet esse spatium verum. Sed quidnam attingi Latitudinis vel Longitudinis?'

Omnino nesciebat quid significarent verba 'Latitudo' vel 'Longitudo', sed ei videbantur verba grandiloqua esse.

Mox iterum loqui coepit: 'Demiror num prorsus per totum globum delapsura sim. Quam erit mirabile inter gentes emergere quae capitibus inversis incedunt. Antipathiae, credo, vocantur.'

Gratius ei erat quod re vera nemo nunc auscultabat, nam verbum 'Antipathiae' non omnino iustum videbatur.

'Sed plane necesse erit,' ait 'hos homines rogare quod sit nomen terrae. Dic mihi, sis, domina, estne haec terra Nova Zealandia, an Australia?'

Et dum loquitur genu flectere conata est - quasi posset genu flectere quisquam dum per aerem delabatur. An tu, mi amice, id posses?

'Quam inscitam ea censebit me esse, si hoc rogabo! Rogandum vero non est. Forte nomen terrae alicubi inscriptum videbo.'

Deorsum, usque deorsum cadebat. Cum nihil allud esset quod faceret, Alicia mox rursus loqui coepit.

'Dina certe hodie vesperi me desiderabit.' (Dina feles domestica erat). 'Spero patellam lactis vesperi ei dare eos non esse oblituros.

Dina cara, o si mecum hic infra adesses!

In aere, opinor, nulli sunt mures; fortasse tamen posses captare vesperilionem, qui sane muris similis est. Sed miror num feles edant vesperiliones.'

Alicia nunc incipiebat somno vinciri, et sibi usque dictitabat somniculose, 'Felesne vescuntur vesperilionibus?' et aliquando 'Vesperilionesne vescuntur felibus?'

Quod enim neutrum explicare poterat, paulum intererat utro modo diceret.

Ei videbatur se somniculosam somnare incipere: se manibus iunctis cum Dina deambulare eamque serio rogare, 'Verone, Dina, edisti umquam vesperilionem?'-cum subito strepitu magno incidit in acervum virgarum frondisque aridae. Terminus hic fuit casui.

Alicia, nihil laesa, cito surrexit. Sursum conspexit, sed supra omnia obscura erant. Sed ante eam erat alter porticus longus: Cuniculus Albus etiam erat in conspectu per eum properans.

Aliciae necesse erat festinare. Quam velocissime Cuniculum insecuta, forte audivit eum dicere, ut in angulo viae deflexit, 'Per aures setasque meas, quam sero sum!'

Quamquam minimo spatio Cuniculum sequebatur, cum in flexum se vertit, ille e conspectu evanuerat.

Alicia erat in longo atrio lacunare non alto, quod lucernae a tecto ordine demissae illustrabant.

Circum totum atrium erant fores, omnes obseratae; et postquam circuitum fecit utriusque lateris atrii omnesque fores aperire tentavit, Alicia per medium incessit maesta, nam mirabatur quomodo umquam evadere posset.

De improvise invenit mensulam tripodem vitro solido factam; in ea nihil erat praeter clavem auream perparvam, qua primo Alicia putavit se posse fores quasdam atrii aperire.

Eheu! Sive machinatio serarum nimis magna, sive clavis nimis parva erat, certo haec nullas fores aperuit.

Cum tamen bis circumiisset, invenit aulaeum humile quod antea non animadverterat. Post hoc erat ianua parva, fere digitos quindecim alta. Clave aurea parvula ad machinationem accommodate, Alicia gaudio maximo eam aptam esse invenit.

Ianua reclusa foramen praebuit in parvum transitum, non multo maiorem quam muris cavum.

Alicia, genibus subnixa, per transitum conspexit hortum multo amoenissimum.

Quantum gestiebat evadere ex illo atrio obscuro et inter flores purpureos fontesque frigidos pervagari! Sed ne caput quidem per ianuam protrudere poterat.

'Etiam si reapse caput meum transeat,' puella infelix secum reputabat, 'id minimo usui sit sine umeris. Utinam me comprimere possem velut telescopium! Id possem, credo, si tantum facere scirem initium.'

Tot vero mira nuper acciderant ut Alicia credere coepisset paucissima re vera fieri non posse. Non usui videbatur esse Aliciae ad ianuam parvam permanere, itaque ad mensulam rediit. Speravit enim se in ea alteram clavem inventuram esse, aut saltem librum praeceptorum, quibus usi homines comprimerentur velut telescopia.

Nunc ibi invenit ampullam parvam ('Certo non hic erat antea,' inquit Alicia), cuius circum cervices alligatus est titulus chartaceus. In eo magnis litteris belle scriptum est: HAURI ME.

Facile erat dicere 'HAURI ME'; sed Alicia, prudens puella, raptim obtemperare noluit. 'Prius potius scrutabor,' inquit, 'notamne ampulla habeat "venenum" necne.'

Fabellas enim delicatas quasdam legerat, in quibus scriptum est pueros ambustos esse vel feris devoratos vel alios casus molestos passos esse, tantum quod reminisce nollent quas rationes agendi simplices amici praecepissent.

Exempli gratia: 'Ferrum calore candens aduret si diutius aequo id tenebis.'

Aut 'Si digitum cultello gravius inseces, plerumque sanguine fluit.'

Et (quod Alicia bene meminerat) 'Si multum bibas ex ampulla verbo "venenum" notata, serius aut citius stomacho grave est.'

Cum autem huic ampullae nota 'venenum' non inesset, Alicia, gustare ausa, potionem suavissimam esse sensit.

Saporem vero quodammodo mixtum habebat: repraesentabat enim scriblitam cerasorum - et lacticinia - et cydonia - et carnem gallinaceam assam - et cuppedia - et panem tostum butyro illitum.

Alicia brevi tempore potionem exhaustit.

'Eia! Sensu quam insolito afficior!' inquit Alicia. 'Videor comprimi velut telescopium!' Atque ita erat. Nunc tantum decem digitos alta fuit. Hilaris ergo vultu erat quod iam esset satis alta ad hortum amoenissimum per parvam ianuam intrandum.

Primo tamen paulisper expectabat si amplius se contraheret. Hoc enim facta est aliquanto timidior.

'Cogitadum,' sibi dixit. 'Ad extremum fieri possit ut candelae modo exstinguar. Qualis tunc futura sim demirror.' Et sibi fingere conata est flammulae candela exstincta formam. Non enim meminerat se umquam talem rem vidisse.

Paulo post, quoniam nihil amplius accidit, statuit nulla mora in hortum ire. Vae miserae Aliciae! Ut ad ianuam advenit, se clavem auream parvulam reliquisse invenit. Regressaque ad mensam ad eam repetendam, nullo modo poterat eam contingere, quamquam per vitrum eam perspicue videre poterat.

Quam maxime poterat, conabatur pede uno mensae eniti: at vero nimis lubricus erat.

Conatibusque defatigata, puellula misera considit lacrimasque fudit.

'Tacedum: inane est sic lacrimare!' sibi dixit severe Alicia. Te hortor ut extemplo desinas! ' Plerumque quidem se optime admonebat (raro tamen ipsa monitis utebatur): aliquando tam aspere se increpabat ut etiam fleret.

Tempore quodam (sic recordabatur) se alapis caedere conata est, quod pila ludens nullo alio competitors contra se ipsam fallaciter egisset. Nam Aliciam lusus insolitus delectabat, quo duos homines se esse simulabat.

'Sed vanum est' Alicia meditabatur, 'nunc simulare me esse duos homines! Vix satis mei superest ex quo homo unus eo nomine dignus fiat.' Mox conspicata est cistellulam vitream sub mensa sitam; qua reclusa placentam parvulam invenit, in qua verba 'VESCERE ME' uvis passis belle notata sunt.

'Esto, vescar ea,' inquit Alicia, 'et si me proceriorem faciet, clavem contingere potero: sin humiliorem, per ianuam reptere potero. Utroque modo in hortum perveniam; et mea nihil interest utrum fiat.'

Paululum edit, sibi que anxie dixit: 'Utram in partem cresco? Utro?' In summo capite manum tenebat, ut discerneret quam in partem mutaretur.

Praeter expectationem sensit se nec maiorem nec minorem fieri. Nempe hoc plerumque fit cum placentam edas.

Sed Alicia exspectare adsueverat nil praeter insolita; itaque prorsus ieiunum et insulsum esse videbatur omnia cotidiano modo continuari. Initio igitur facto Alicia mox devoravit placentam.